

Si fuerit Iupiter in quarta in suo Hayz, natus erit nobilis, aut mercator animalium, aut pastor bestiarum nobilium hominum, homo iustus, finis uitę suę melior erit principio.

Mercurius dominus Medij cęli existens ibidem occidentalis, egressus radios Solares in aspectu Iouis bono, facit natum cancellarium Regis.

Luna cursu uacua, significat quod natus erit ociosus, & diliget ire per montes & deserta.

Aspice Alinuten coniunctionis uel oppositionis pręcedentis natiuitatem, nam in magisterio significato per ipsum, natus erit agilior. Et si ille fuerit fortunatus in natiuitate, habebit commodum ex magisterio illo; si infortunatus fuerit, non habebit.

Si fuerit Mars occidentalis in Cancro, non aspiciens Saturnum, nec Iouem, nec Venerem, neq; Solem, sic natus erit flebotomator. Eodem modo Marte existente in Capricorno, erit corruptor hominum, & effusionis sanguinis amator.

Mercurius recipit naturam Martis in domibus illius existens. Et si fuerit configuratus eidem cadenti ab angulo, erit natus amator uenationis, diliget ludere taxillis. Si uero cadens non fuerit, erit bellicosus & miles.

Saturnus, uel Mars dominus duodecimę in ascendente inclinant natum ad uenationem, & forte interficietur a lupo, uel cane.

Si Mercurius fuerit in ascendente, natus erit Astrologus, & si eum aspicit Iupiter, erit thesaurarius regis. Idem si Sol aspexerit eum.

De audacia & metu.



I pars fortunę cum Marte fuerit, natus erit miles, uel capitaneus, uel eques, armiger, uel uenator, maxime si Luna cum eo fuerit.

Pars audacię, in angulo fortunata facit capitaneum exercitus.

Similiter quando aliquod luminarium fuerit in domo Martis, aspiciendo partem prędictam, & eius dominum.

Si fuerit Sol in ascendente, & Luna in medio cęli, natus erit audax & effusus sanguinis. Similiter quando ascendens fuerit masculinum, & ambo luminaria in signis masculinis, & dominus ascendentis in masculino, & Mars in angulo.

Optimum est in militia ut Iupiter recipiat Martem per bonum aspectum.

Saturnus coniunctus per corpus, aut quadrato, aut opposito, cum parte audacię, non admittit pręfecturam militum.

Mars in signis aqueis, facit natum timidum.

Mars in domo Lunę, facit natum crudelem.

Mars cum Mercurio in Medio cęli facit prędonem famosum.

Mars cum Mercurio sub radijs in angulo, facit latronem notum & famosum.

Mars cum Luna in angulo sub radijs facit latronem solitarium, & secretum.

Dodecatemorion Martis si cum Mercurio fuerit, & unus eorum commixtus ascendenti, uel habens testimonium in ascendente, natus erit audax.

Exemplum